Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quia potest esse verbum nostrum quod non sequatur opus. opus autem esse non potest nisi praecedat verbum. sic verbum dei potuit esse nulla existente creatura. creatura vero nulla esse posset nisi per ipsum per quod facta sunt omnia. Ideoque non deus pater non spiritus sanctus non ipsa trinitas sed solus deus filius quod est verbum dei caro factum est quamvis trinitate faciente. ut sequente atque imitante verbo nostro eius exemplum recte viveremus. hoc est nullum habentes in verbi nostri vel contemplatione vel operatione mendacium. Verum haec huius imaginis est quandoque futura perfectio. Ad hanc consequendam nos erudit magister bonus fide christiana pietatisque doctrina. ut revelata facie a legis velamine quod est umbra futurorum gloriam domini speculantes per speculum scilicet intuentes in eandem imaginem transformemur de gloria in gloriam tamquam a domini spiritu. secundum superiorem de his verbis disputationem. Cum ergo hac transformatione ad perfectum fuerit haec imago renovata similes deo erimus. quoniam videbimus eum non per speculum sed sicuti est. quod dicit PAULUS apostolus facie ad faciem. nunc vero in hoc speculo in hoc aenigmate in hac qualicumque similitudine quanta sit etiam dissimilitudo quis potest explicare. Attingam tamen aliqua ut valeo quibus id possit adverti.

Nota quod non pater neque spiritus sanctus non ipsa trinitas sed solus filius verbum dei caro factum est.

vel operatione

Nota bene

.xii. Quantum distet a vera et perfecta similitudine dei quae in nostra mente utcumque dei similitudo reperitur.

PRIMO ipsa scientia de qua veraciter cogitatio nostra formatur quando quae scimus loquimur qualis aut quanta potest homini provenire quamlibet peritissimo atque doctissimo. Exceptis enim quae in animum veniunt a sensibus corporis in quibus tam multa aliter sunt quam videntur ut eorum verisimilitudine nimium constipatus sanus sibi videatur esse qui insanit. unde academica philosophia sic invaluit ut de omnibus dubitans multo miserius insaniret. his ergo exceptis quae a corporis sensibus in animum veniunt quantum rerum remanet quod ita sciamus sicut nos vivere scimus. in quo prorsus non metuimus ne aliqua veri similitudine fallamur. quoniam certum est etiam eum qui fallitur vivere. Nec in eis visis habetur hoc quae obiciuntur extrinsecus ut in eo sic fallatur oculus

Nota contra ... [illegible]